

## GEORGICON IV

immunisque sedens aliena ad pabula fucus;  
 aut asper crabro imparibus se immiscuit armis  
 aut dirum tiniae genus, aut inuisa Mineruae  
 laxos in foribus suspendit aranea cassis.  
 quo magis exhaustae fuerint, hoc acrius omnes  
 incumbent generis lapsi sarcire ruinas  
 complebuntque foros et floribus horrea texent.

245

Si uero, quoniam casus apibus quoque nostros  
 uita tulit, tristi languebunt corpora morbo—  
 quod iam non dubiis poteris cognoscere signis:  
 continuo est aegris aliis color; horrida uultum  
 deformat macies; tum corpora luce carentum  
 exportant tectis et tristia funera ducunt;

255

aut illae pedibus conexae ad limina pendent  
 aut intus clausis cunctantur in aedibus omnes  
 ignauaeque fame et contracto frigore pigrae.

260

tum sonus auditur grauior, tractimque susurrant,  
 frigidus ut quondam siluis immurmurat Auster,  
 ut mare sollicitum stridit refluentibus undis,

aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.

hic iam galbaneos suadebo incendere odores  
 mellaque harundineis inferre canalibus, ultro  
 hortantem et fessas ad pabula nota uocantem.

265

proderit et tunsum gallae admiscere saporem  
 arentisque rosas, aut igni pinguia multo  
 defruta uel psithia passos de uite racemos,

Cecropiumque thymum et graue olentia centaurea.

270

est etiam flos in pratis cui nomen amello  
 fecere agricolae, facilis quaerentibus herba;  
 namque uno ingentem tollit de caespite siluam  
 aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum  
 funduntur, uiolae sublucet purpura nigrae;

275

saepe deum nexas ornatae torquibus arae;